

*vocationis*, quia Christus in veteri Testamēto tantum Judæis annuntiatur, in novo verò etiam gentibus prædicatur; *tum perspicuitatis*, quia quæ obscurius in veteri adumbrantur, clarius & abundantius in novo illustrantur, non nihil correctum est, ideo & leges divinas esse in universum abolitas. Proinde quid de valore & vigore itemque abolitione legum divinarum statuendum sit, hîc paucis interferemus.

24 Lex est triplex: alia *moralis* de moribus, cùm erga Deum, tum erga proximum piè informandis: alia *judicialis* de judiciis rectè exercendis: alia *ceremonialis* de ceremoniis ritè peragendis.

25 *Moralis* lex, quatenus lex omnino non est abrogata: usus tamen obtinuit, ut eam abrogatam fidelibus, quoad maledictionem *a*, non autem quoad obedientiam *b* dicamus.

*a Gal. 3. v. 13.*

*Rom. 6. v. 14.*

*b Deut. 32.*

*v. 46.*

26 Leges judiciales salvâ & incolumi rectitudine sunt abrogatæ quoad circumstantias & constitutionem externam; at non quoad æquitatem, cujus ratione constitutio fundata est, & cui etiam innititur.

27 Lex ceremonialis, quia non est de lege naturæ (quæ sola est immutabilis) abolita est usu sive quoad observationem, non effectu sive quoad significationem.

A vij